

studii & ad onerandam pluribus absurditatibus plus zeli & inge-
 nii afferat, quām Laudatissimum modo Virum HENRICUM
MORUM Cantabrigensem, peculiari quodam præjudicio abre-
 ptum de Principio quodam immateriali per universum mundum
 diffuso ac intelleđu tamen sensuq; destituto, quod Hylarchicum
 ipse vel Spiritum Naturæ appellat; ideoq; non uno loco Auctario-
 rum nostrorum in parte prima, prout occasio tulisset, vel contr^a
 Principium hoc Hylarchicum disputassemus, vel ad objectiones
 quasdam Viri Celeberrimi contra nostram hypothesin efformatas
 respondassemus; ipse verò vicissim in Enchiridii sui Metaphysici,
 cum Operibus cæteris pronuper denuò editi, Scholiis sparsim pari-
 ter ad illa nostra vel objecta vel responsa prolixè quædam exce-
 pisset; operæ pretium nos facturos existimavimus, si totam hanc
 controversiam ab ovo, quod ajunt, ad mala usq;, quā par erat fide
 & industriâ excuteremus, ejusq; statu, eeu loquuntur, ante omnia
 ritè formato, de argumentis Viri Acutissimi, quibus fluidorum
 partes alias in alias gravitare negat, & vim elasticam aëris impu-
 gnat, videremus, quid eis responderi jure posse imò debere videa-
 tur paulò explicatiùs diceremus, tandemq; num veri solidiq; quip-
 piam Ejusdem ad hæc responsa nostra novis exceptionibus substit-
 ingenuè libereq; commonstraremus. Sic verò judicare de alienis
 modestè quidem & candidè licitum nobis dum putavimus, hoc ipso
 TIBI potestatem eandem in hæc nostra eodem jure concedimus,
 nihil aliud præter hoc unum exposcentes, ut eodem hoc à TE, quo
 illud à nobis, animo fiat, nimirum procūl omni partium studio, ca-
 villatione, odio & exacerbatione. Vale.

Scribbam Altorf I d. 20.
 Decemb. 1684.

Joh. Christoph. Sturmius P. P.
 NB. Quo-